



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Directorivm Sacerdotale & Clericorum Specvlvm Insigni Pietatis Ac Devotionis Supellectili exuberans

Kinckius, Matthias

Coloniæ, 1662

De Tabernaculo SS. Sacramenti,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46628](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46628)



A P P E N D I X.

*A D V E R T E N D A Q V Æ
dam circa Tabernaculum , Vasa sacra,
Corporalia , & Purificatoria , ne
non circa Eucharistiam ipsam ,
& eius mate-
riam.*

D E T A B E R N A C U L O S A N C T I S S I M I S A C R A - menti.

CLaves Tabernaculi , nulli unquam Laico , ac ne ipsi quidem Ædituo (ut multorum negligentia , qui illas quolibet loco proiectas reliquerunt , quasi pretiosissimus hic thesaurus , minori cura ac studio , quam aurum & margaritæ esset custodiendus , hætenus perperam factum est) credantur , unde nec in Sacristia relinquenda sunt , sed illarum , solus Rector seu Parochus , vel alius Sacerdos de illius
licet

licentia curam habeat, nec unquam per-
mittat, ab ullo, qui non est saltem Sub-
diaconus claudi & aperiri dictum Ta-
bernaculum.

Solum ipsius Tabernaculi stratum sit
Corporali mundo, & candido, sine quo
nunquam & nusquam Venerabile Sa-
cramentum, vel vasculum illud conti-
nens, deponi, vel collocari debet.

Vacuus etiam sit hic locus Sanctissi-
mus, à quibusvis Reliquijs, sacri olei
vasculis, alijsque rebus quibuscunque,
adeò ut ne Pyxis inanis, multò minus
quævis Monstrantia ibi ulla remaneat,
sed solum illud ipsum vas, in quo Vene-
rabile Sacramentum continetur, hoc
loco asservetur.

Quod si tamen nullus planè locus vel
in Sacristia, vel in templo, oleis sacris
asservandis aptus haberi possit (quem
tamen haberi ac fieri, maximè conveni-
ret) permittitur, ut Vasculum, in quo
dicta olea sacra continentur, intra Ta-
bernaculum, unà cum Venerabili Sacra-
mento, ad latus tamen, & iuxta, non su-
prà asserem seu tabulam illam Corpora-
li instratam, reponatur.

DE VASE OSTENSORIO VENERABILIS Sacramenti, vulgò Monstrantia.

In Monstrantia nunquam asservetur Venerabile Sacramentum, nisi per Octavam sacratissimi Corporis Christi, & cū Orationes decem vel quadraginta horarum, aut Missæ solemnes, cum Processionibus de eodem Venerabili Sacramēto, aut alia huiusmodi Officia coram eo habentur; tunc enim tantum Monstrantia reponi potest in Tabernaculo, unā cum Pyxide illa, in qua continuò asservatur sanctissimum Sacramentum. Finitis autem Octava, Orationibus, Missis, Processionibus & Officiis dictis, Hostia illa ostensoria statim deponatur in Pyxidem, vel Ciborium, vel Calicem benedictum, & à Sacerdote proximam Missam celebraturo, decenter consumatur.

Monstrantia dicta in nullum alium usum, adque adeò ne Reliquiarum quidem, quàm ad prædictum adhiberi debet, ne simplices visa Monstrantia, illicò & Eucharistiam adesse conijciant.

si dum Venerabile Sacramentum in
Mon-

in Monstrantia super Altare expositum est, contingat fieri Concionem, interim velo cooperiatur Venerabile Sacramentum, nisi Concionator sit apud Altare.

DE VASCVLO VENERABILIS SACRAMENTI, quam Pyxidem vocant.

In Vasculum, quod perpetuò quasi in Ecclesia ac Tabernaculo residere debet (quippe in quo Eucharistia pro fidelium adoratione, & quotidiani communicantium usu semper est asservanda) non immittatur Venerabile Sacramentum, nisi illud prius ab Episcopo sit consecratum.

Si qui possunt & volunt, inter cetera Corporalia, & in formam Pyxidis cõsuta, benè lota, & amido paululū roborata, intra dictum Vasculum accommodare, dummodo id decenter fiat, non prohibetur.

Præter hoc autem solum omnia alia, quæcunque tandem illa sunt, à Pyxide removenda sunt, ut Bombyx, Papyrus, Sericum, &c. Quæ inani quidam & fatua devotione supponere solent Sacramento; ac deindè involuta alia Bomby-